

obhorus, centum annis in Purgatorio, iusto Dei iudicio; torqueretur. Si unctus fuisset, de aegritudine convalescens; & his diis iterum expressisset. Hæc omnia non me pigrit transcribere ex his approbatis auctoribus, ne Curatis desint rationes, & exempla ad suadendos infirmos, ut pie, ac devotè, cum in discrimine vitæ versantur, Oleum Sanctum petant, ac recipiant.

Alterum dubium principale resolvendum est, an infirmus peccare possit ob nimiam devotionem erga hoc Sacramentum; illud scilicet pluries recipiendo in eadem infirmitate? Pro resolutione huius dubii attendatur à studioso Lectore quatuor sequentes conclusiones.

Prima Conclusio: Nonnulli Scriptores de Ritibus antiquis in Sacramentorum administratione solliciti notant, quod ab hinc ante mille annos Extrema Unctio dabatur infirmis per plures sequentes dies continuos; idque colligitur ex libro Sacramentorum Sancti Gregorii Pape, (quem Hugo Menardus Monachus Benedictinus notis illustravit.) nam in eodem libro, interationes pro visitatione, & unctioe infirmorum pag. 253. ita dicitur post completas Unctiones: *Deinde communicet eum Corpore, & Sanguine Domini: Et sic faciant illi per septem dies si necessitas fuerit, tam de Communione, quam de alio officio: unde idem Menardus in notis pag. 335. ait: T. de alio officio significatur de Unctione; & pag. 336. subdit: Et quamvis bodie in eodem morbo non repetatur hoc Sacramentum; si tamen antiquus valeat usus, id non esset absurdum; quia non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia, que nobis quotidie obrepunt, quia (septies in die cadit iustus) iure posset hoc Sacramentum septies in eodem morbo repeti. Successive ipsemet Menardus in notis ad Antiquum Extremæ Unctionis conferendam Ritum ex Codice M. S. Ratoldi Abbatis pag. 358. Vers. 13. ita advertit: Nota continuationem Unctionis per septem, & plures dies, que etiam extat in Sacramentario S. Eligii. Confirmari potest hæc opinio Menardi ex relatione, quam facit Sæcula Benedictina, seu Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti; in quibus Sæculo IV. p. 2. Anno 888. in vita S. Remberti Episcopi Hammburgensis pag. 483; hæc habentur: *Septimo ante obiitum die ministrum Sacre Unctionis cum Oleo Sancto ei fieri cepit, & una cum Communione Corporis, & Sanguine Domini usque in diem anime exstantis de corpore hoc salutare remedium omni die percipit.* Quo in loco Joannes Mabillon Monachus Congregationis S. Mauri, Viri celsissimæ eruditionis, lib. B. sic notat. *Namque mos olim in Ecclesia vigebat, ut Unctio infirmorum, que Viatico præmittitur, per plures dies à pluribus Presbyteris repetetur.**

Ergo tamen (pace, ac reverentia tantorum Virorum semper salva) contendo, supradictas reiteratas Unctiones non fuisse reiterationem Sacramenti Extremæ Unctionis, sed simplices Sacramentis curativas pro devotione infirmi iteratè et impensas ex rationibus, quas consideravi supra Decif. LXX. num. 28. & 29. ibi iterum à studiosis legendas, & per ea, que dixi in Decif. LXXIX. à n. 15. & seqq. ubi ex doctrina celeberrimi Jacobi Pignatelli Jurisconsulti Romani ostendi reiteratas Unctiones, que à Græcis exhibentur cum Oleo Sancto, non esse Sacramenta, sed Sacramentalia, ad curandos languores, & dolores alienius membri linendos vim habentia; idcirco que idem est intendendum de Unctionibus antiquorum, que replicantur ob devotionem infirmi periculosè decumbentis, post datum eidem Sacramentum Unctionis Extremæ. Favet huic meæ opinioni Mathæus Galenus, in Promptuario Theologico Catechisti 182. hoc idem sentiens, & eius verba referentiam Menardus in Notis d. pag. 335. que sunt hujusmodi:

Ad hæc non sicut illud (Unctionum scilicet reiteratum officium) perfunctoriè, & propter, sed ubi ager non convalescebat, redabant eodem Sacramentum per septiduum urgentes, non quidem Sacramentum (notet LeCler) toties repetentes, sed statim præcibus unctioe curantes laborantis membra, præbentesque Sanctam Eucharistiam. Uterius si per septem continuos dies Sacramentum Extremæ Unctionis unicuique infirmo solitum fuisset ministrari, de unoquoque infirmo, præcipue sublimis conditionis, hujus repetiti Sacramenti Historiæ meminissent. At hoc non narrant, nisi de aliquibus, siquidem præter exempla Ven. Bedæ, & S. Huneundis, de quibus supra num. 9. & 10. ut hoc unum aliud exemplum adducam loco plurium aliorum, in iisdem Actis Sacri Ordinis S. Benedicti sæculo primo Anno 545. pag. 102. De Clotilde, (alias Chrotilde) Regina Francorum, in ejus mortis narratione legitur ita: *Corporali aegritudine gravata læto decubuit. Tricesimo itaque die vocacionis suæ secundum Apostolum inuncta à Sacerdotibus Oleo Sancto, & Sacri Corporis, & Sanguinis Christi percipio Viatico in Confessione SS. Trinitatis corpus exiit.* En mentio singularis, non reiteratæ Unctionis per plures dies. Cæterum quidquid in usu fuerit antiquis sæculis illis; est, quod tunc Sacramentum Unctionis Extremæ eodem periculo infirmitatis durante reiteraretur per septem, aut plures dies; sit

Secunda Conclusio: Illicitum est reiterare Extremam Unctionem eidem infirmo, durante ipsomet discrimine vitæ, in quo Oleo Sancto fuit inunctus. Probatur hæc conclusio ex doctrina S. Thomæ in 4. dist. 23. qu. 1. artic. 4. à Catechismo Romano de Sacram. Extr. Unct. sess. 11. ubi ita dicitur: *Ilud observare oportet, ut in eademque aegritudine, cum ager in eodem vitæ periculo positus est, semel tantum ungendum esse.* Quod quidem non obscure definitum fuit à Tridentino Concilio de Extrem. Unct. cap. 13. in illis verbis: *Quod si infirmus post susceptam hanc Unctionem convalescerit, iterum huius Sacramenti subsidio utari poterit, cum in aliud simile vitæ discrimen incididerit.* Ergo si non convalescerit post susceptam Sacram. Unctionem, non fuit iterum unguendi. Hoc idem expressè prohibet Rubrica Ritualis Romani de eod. Sacram. Extr. Unct. ibi: *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet.* Ratio autem hujus prohibitionis est, ut infirmi majori cum devotione, ac Spiritus fervore suscipiant hoc Sacramentum, & uberioris ex eo colligant fructus, scientes semel tantum in eadem infirmitate ipsum esse recepturos, & ita docent Ivenius de Extrem. Unct. quæst. 9. cap. 1. in fine Diana p. 5. traç. 3. resol. 96. necnon part. 102. traç. 11. resol. 11. Quæ existunt in Opere ejus Coordinato tom. 2. traç. 4. resol. 39. & 40. Salmanticenses cit. traç. 7. cap. 4. n. 9. Maltrius d. disp. 6. in 4. Sent. n. 59. & Tamburini, de Extrem. Unct. lib. 6. cap. 2. §. 6. num. 1.

Tertia conclusio: Ex communi Doctorum placito in eadem infirmitate potest idem infirmus rursus Oleo Sancto liniri, quando ipsa infirmitas, que erat periculosa, facta fuit sine periculo; sed deinde iterum facta est periculosa. S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4. & S. Bonaventura ead. dist. 23. part. 2. qu. 4. in fine. Maltrius d. disp. 6. n. 60. hæc scribens: *Si infirmus graviter laborans hoc Sacramentum semel suscepit, si postea periculum evasit, & ab morbi durtinitate, ut hydropsi u. g. vel phlysi, varietur notabiliter morbi status, & rursus in simile vitæ periculum incidat, hoc Sacramentum repetere poterit, quia in tali casu novus cessatur morbus, novaque necessitas. At paulo post subdit: Advertunt tamen Doctores, inter unam, & aliam Unctionem, notabilem temporis distantiam imponi debere, ut ita verè*

verè constet, & appareat, periculum mortis fuisse verè renovatum. Ita Suarez, Niquus, &c. quibus adhærent Diana Coordinatus d. tom. 2. traç. 4. resol. 39. & 40. Salmanticenses d. cap. 4. num. 9. Tamburinus d. §. 6. à num. 3. & seqq. & Gobatus d. traç. 8. de Extrem. Unct. num. 887. & seqq. qui ad amulum examinat, quando censenda sit sufficiens morbi mutatio de periculoso in non periculoso; & è contra? ac idè in praxi à Parochis consulendus & legendus.

Quarta, & Ultima Conclusio est: Si infirmus Oleo Sancto inunctus convalescit ab illa infirmitate, & sanus factus extiterit; si deinde in aliam incidit mortalem infirmitatem, liniri poterit Sacramento Extremæ Unctionis, & hoc expressè Catechismus Romanus d. sess. 11. in illis verbis: *Quod si post susceptam hanc Unctionem ager convalescerit, quoties posita in id vitæ discrimen incidit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi.* Et hoc concorditer docent omnes Theologi, ac Canonistæ allegantes Constitutionem XIX. Eugenii IV. Incip. *Exultate Deo*, &c. in qua §. 9. in fine. ait, Extremæ Unctionis Sacramentum esse unum de illis quatuor, que non imprimant characterem, & reiterationem admittunt. Diana Coordinatus d. tom. 2. traç. 4. resol. 39. & 40. Cotonius lib. 2. Controv. 15. num. 40. Salmanticenses d. traç. 7. cap. 4. n. 9. Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Extrem. Unctioe. disp. 11. num. 193. Maltrius d. disp. 6. in 4. Sentent. num. 59. ubi ponit verba Concilii Tridentini sess. 14. cap. 3. hæc reiterationem in nova infirmitate concedentis. Gobatus eod. traç. 8. à num. 886. & seqq. & Barbosa de Paroch. cap. 22. num. 38. ubi alios DD. allegat.

DECISIO LXXXII.

ARGUMENTUM.

Effectus quinque, quos operatur Extrema Unctio, declarat præsens Decisio. Hi sunt gratiæ augmentum, & aliquando gratia prima, Venialium remissio quo ad culpam, & quo ad partem penæ. Deletio reliquiarum peccatorum. Levamen conscientiæ. Robur contra tentationes Dæmonis: & Sanitas corporis, si expedit animæ salutis. Innuuntur tres Theologicæ Quæstiones de Præcellentia dictorum Effectuum. De tempore, quo producuntur; & de eorum influxu post sublatum obicem, cum quo fuerat collatum Sacramentum.

SUMMARIUM.

- 1 Scholastici obscuro, circa effectus Extremæ Unctionis.
- 2 Effectus Extremæ Unct. quinque.
- 3 Gratia sanctificans est Olei Sancti primus effectus.
- 4 Gratia prima aliquando infunditur in Extrema Unctione.
- 5 Venialia delentur per Extremam Unctionem.
- 6 Ex opere operato Oleum Sanctum delet Venialia.
- 7 Differentia inter Sacramentum Penitentiae, & Extremæ Unctionis.
- 8 Penæ debita pro Venialibus remittitur in Oleo Sancto.
- 9 Reliquia peccatorum deleta per Extremam Unctionem quid sint?
- 10 Diaboli assus contra moribundos.
- 11 Theodori, Chrysostomi, ac Monachi Ironiensis exempla.

- 12 Tentationes Diaboli superantur in morte virtute Extr. Unctionis.
- 13 B. Marie Ogiacensis visio circa Oleum Sanctum.
- 14 Athleta pugnaturi Oleo se ungebat.
- 15 Sanitas corporis ex Extrema Unctione quando datur?
- 16 Judicia Dei adoranda non perscrutanda.
- 17 Exempla sanatorum cum Extrema Unctione.
- 18 Primarius effectus quæstionem sit Olei Sancti?
- 19 Tempore quo producatur in infirmo effectus Extremæ Unctionis?
- 20 Sacramentum Extremæ Unctionis, an possit esse validum, & informe?
- 21 Obice peccati ablato effectus Olei Sancti producuntur.
- 22 Attritio sola in infirmo quando tollat obicem peccati?

Restat pro complemento hujus tractatus de Extrema Unctione, ut effectus, quos ipsa producit, ostendamus. Illud autem est in primis advertendum, quod notat Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Extrem. Unct. disp. 11. art. 16. & Maltrius in 4. Sentent. disp. 6. num. 61. modernos scilicet Theologos ita confusè loqui de effectibus hujus Sacramenti, ut nullibi reperitur apud ipsos clara, & concors doctrina, que studiose animam instruat; at è contra potius non leves difficultates gignat, ac dubia irresoluta relinquat, etiam non obscure infnuent effectus ipsi à Tridentino Concilio Tridentini sess. 14. his verbis: *Res porro, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur.* (Jac. 5. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.) *Reverentim hæc gratia est Spiritus Sancti; cuius Unctio delenda, si quo sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & egras animam alleviat, & confortat; magnam in eo Divinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus demoritur, calcaneo insidians, facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expeditur, consequitur.*

Itaque ex his verbis Concilii, & ex communiori Theologorum placito, quinque colliguntur effectus Sacramenti Extremæ Unctionis. Primus est collatio gratiæ sanctificantis. Secundus est remissio peccatorum venialium. Tertius est abstergere reliquias eorumdem peccatorum. Quartus est alleviare animam infirmi excitando spem, & confortando adversus insidias diaboli. Quintus est conferre corporis sanitatem, si hæc animæ salutis expedit. Ita pluribus DD. citatis colligit Gobatus d. traç. 8. de Extrem. Unct. num. 909. Salmanticenses de eod. Sacram. traç. 7. cap. 3. punct. 1. Maltrius d. disp. 6. num. 62. & Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 11. ur. 16. per totum, & de his omnibus effectibus quas magis essentialia sunt, ac lectu digna, breviter hic duxi colligenda, & in gratiam Parochorum narranta.

Primus itaque effectus Extremæ Unctionis est gratia habitualis, seu sanctificans; que quidem dupli modo producitur in anima infirmi Oleo Sancto inuncti, virtute hujus Sacramenti. Uno, per augmentum ejusdem gratiæ, si infirmus, illud suscipiens sit in gratia, ut esse præsumitur ex præmissa Confessione Sacramentali, & absolutione obtenta, ac ex Sanctissimæ perceptione Eucharistiæ, ut mos est apud omnes fideles gravi morbo laborantes, & apud Parochos sollicitos de salute suorum Parochianorum. Ratio hujus augmenti gratiæ sanctificantis est, quia omnibus Sacramentis, que appellantur vivorum, quale est hoc Extremæ Unctionis, commune est producere hunc effectum, nisi suscipientes obicem ponant. Altero modo, per infusionem primæ gratiæ; que quidem prima gratia infunditur, si infirmus

firmus bona fide credat, se esse in gratia, sed re vera sit in peccato mortali; puta quia non recordetur inculpabiliter de uno, vel pluribus peccatis mortalibus; vel aliquo alio modo habeat conscientiam maculatam aliqua gravi culpa, de qua confiteri non possit, quia usum loquelæ; tunc enim idem unguentum Oleo Sancto, licet solam attritionem eliciat de suis peccatis, consequitur primam gratiam, & remissionem eorumdem virtute hujus Sacramenti Extremæ Unctionis. Ita S. Thom. part. 3. in Suppl. qu. 20. art. 1. Dicastillus de Extrem. Unctione. dub. 6. num. 8. S. Antoninus, Sotus, Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Gobatus d. tract. 8. num. 9 to. 1. 9. 11. & concordant Palau de Sacram. Extrem. Unct. disp. Unica punct. 5. num. 7. Aversa sess. 6. & Salmanticenses d. tract. 7. cap. 3. num. 2. ac consentit doctissimus Mastrius in 4. Sent. d. disp. 6. num. 70. 74. etsi Confiteor, quorum ipse est coriphæus, videantur contrarium sentire; addit tamen hanc limitationem, quod scilicet prima gratia infundatur ab hoc Extremæ Unctionis Sacramento, non principaliter, & ex ejus institutione; sed per accidens, ac secundario, de quibus loquendi terminis, quibus Theologi utuntur in Scholis, parum interest disputare in praxi, cum Parochis, ac animarum Rectores satis sit scire certitudinem hujus effectus colativi etiam primæ gratiæ, ut dictum est supra.

Secundus effectus Extremæ Unctionis est delere in infirmo peccata Venialia. Gonetus de Extr. Unct. disp. 2. art. 1. num. 1. ubi allegat S. Bonaventuram, Scotum, Durandum, & alios DD. antiquos ita docentes. Concordat S. Ver. Extrem. Unct. num. 16. Navarrus in Summa cap. 22. & Gobatus d. tract. 8. num. 913. Faciunt Catechismus Romanus de Extrem. Unct. sess. 14. in illis verbis: *Docet ut igitur Pastores, hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis quidem leviora, & ut communi nomine appellentur, venialia remittit. Et manifeste deducitur talis effectus tum ex verbis Divi Jacobi, & si in peccatis sit, remittuntur ei, tum ex forma hujus Sacramenti, Indulget tibi Dominus quicquid tunc deliquisti; & utrumque ponit etiam Concilium Tridentinum d. sess. 14. de Extrem. Unctione. cap. 2. Porro circa hunc effectum duo sunt valde notanda, & tamquam dignissima scitu, studiosorum memoriæ fienda. Unum est, quod hanc remissionem Venialium operatur Sacramento Extremæ Unctionis ex opere operato, quod est dicere, absque ulla cooperatione ipsius infirmi, ita ut sicut Baptismus ex opere operato in pueris absque ulla dispositione subiecti tunc existentis in infantili ætate: ita servata proportione facit hoc Sacramento Extremæ Unctionis, & idem quomvis deturphanteticis, amentibus, & aliis, qui usum rationis perdidit, remittit eis peccata venialia, etsi nullum actum doloris tunc eliciant; sufficit enim quod in eis non habeant complacentiam formalem, & hoc ex majori Dei misericordia; ut bene dixerit, ac probat Mastrius d. disp. 6. num. 70. ubi subtiliter advertit, hanc esse differentiam inter Sacramento Pœnitentiæ, & Sacramento Extremæ Unctionis; quod in illo requiritur dolor de peccatis tamquam ejus pars essentialis, & sine quo non fieret Sacramento; at in hoc non est necessarius dolor, quia essentialis Extremæ Unctionis non pendet ex actibus suspicientis; siquidem sine ulla ejus prævia dispositione Venialia remittuntur ex opere operato, & immediate virtute ipsius Sacramenti Unctionis Extremæ. Aliud notabile scitu delect ventalia quo ad culpam; sed etiam quo ad penam temporalem, quam infirmus luiturus esset in Purgatorio pro illidem ventalibus; etsi non omnem, sed in tanta portione, quæ Divinæ Clementiæ magis placet, ut observant Salmanticenses d. tract. 7.*

cap. 3. num. 5. & ipse Mastrius ead. disp. 6. nu. 64. subdens hoc Sacramento esse institutum ad tollenda impedimenta retardativa consequentium gloria; idcirco congruum est, ut tollat non solum venialia quo ad culpam, sed etiam quo ad penam, ne Viator disciferens ab hac vita nimis retardetur ad habendum ingressum ad gloriam ob peccata venialia; quæ quasi continuò, ac etiam in extremo vitæ ex humana fragilitate committuntur.

Tertius effectus hujus Sacramenti est abstergere reliquias peccatorum. Cæterum DD. satis discordes sunt in demonstrando quid sit intelligendum pro reliquiis peccatorum; ut disputando demonstrat Emin. Card. de Lauræa de Extr. Unct. d. disp. 11. art. 16. §. 3. per totum. Magis tamen communis Theologorum opinio est, quod nomine reliquiarum peccati intelligere debeamus animi languorem, teporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes animi passiones, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent; & quæ quodammodo impellunt infirmum ad desperationem, & nimium timorem mortis; idcirco virtus hujus Sacramenti, ut ait Apostolus Jacobus, alleviat infirmum, præstando ei internam fiduciam erga misericordiam Divinam, & exhilarandum ejus spiritum, ita ut constanter appetat mortem. Ita ex doctrina S. Thomæ in 4. disp. 23. q. 1. art. 2. colligit Mastrius d. disp. 6. n. 62. Emin. Card. de Lauræa d. §. 3. Gonetus d. disp. 2. art. 1. §. 1. Salmanticenses d. tract. 7. cap. 3. num. 4. & Gobatus d. tract. 8. num. 914.

Quartus effectus est præbere robur infirmo, & auxilia, ut possit resistere tentationibus diaboli. De insidiis, terroribus, ac versutis, quibus utitur diabolus, dum homo fidelis appropinquat morti, dixi supra Decif. LXXIV. a num. 23. & segg. & in meo libello: *La Prima Età del Mondo serm. 4.* De illis ita protestatur Tridentinum Concilium de Extrem. Unctione. sess. 14. in princip. *Etsi adversarius noster occasione per omnem vitam querat, & capiet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suas versutias nervos intendat ad persequendum nos; & a fiducia etiam, si possit, Divinæ misericordie deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ percipit. At ut subjungit idem Concilium ibidem cap. 2. Divina Pietas Redemptoris Nostri instituit Sacramento hoc Unctionis Extremæ, Quæ infirmus sublevatur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus demonis, calcaneo insidiantis facilis resistit. Hæc Sacra Unctio est illa armatura, de qua dicebat Apostolus ad Ephesios cap. 6. Vers. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Has autem insidias tendit contra nos tempore mortis, nam, ut ait Aleninus, seu Albinus, quem allegavi in d. Decif. 74. num. 25. in fin. & quem refert Cornelius à Lapide in Genes. 3. 15. *Diabolus insidiat calcaneo nostro, quia extremum vitæ nostræ acervius oppugnat.* Quapropter idem Cornelius in Comment. in Epist. S. Judæ Apostoli Vers. 9. super illis verbis: *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercetur de Moyse corpore: ita subdit: Hinc collige, si diabolus ita certat pro corpore Sanctorum in morte, quanto magis certat pro corpore animæ? Et vicissim si Michael, & Angeli ita defendunt corpora Sanctorum morientium, multo magis defendent eorumdem animas. Sic certantur Demones pro anima Theodori, & Chrysaorii clamantis, Inducias usque manè; Ac Monachi Ieonitensi, ubi narrat Sanctus Gregorius 4. Dialog. 38. Hinc diabolus multis in morte apparet, ut eos percellat, & in desperationem, aliunde peccatum adigat: unde Sanctus Martinus moriens, eo viso, Quid tibi ait, astas cruenta bestia, nihil in me funestum invenis.**

Et ne

Et ne Lectorem lateat, quid egerint demones in morte supranominatorum Theodori, Chrysaorii, & Monachi Ieonitensis, sciat id, quod subius narrat de istidem S. Gregorius Papa in cit. lib. 4. Dialog. c. 37. & cap. 38. videlicet, eum Theodorus prædictus inter Monachos vitam ageret, sed monasticam disciplinam despiceret, peste percussus, in agoniam actus, orantibus Monachis ad ejus lectum clamare cepit, *Recedite, recedite. Ecce draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam devorare me non potest.* Sed Monachis ferventibus orantibus, & eum ut signo Sanctæ Crucis se muniret suadentibus, compunctus corde, veniamque postulans à Deo in pace quievit. Chrysaorius autem erat vir secularis, ut idem Sanctus Pontifex scribit, tantum plenus virtutis, quantum rebus, superbia tumidus, carnis sue voluptatibus subditus, & in acquiritendis rebus avarissime facibus accensus. Is, in extremo vitæ constitutus aperiis oculis vidit terribissimos viros, & nigerrimos spiritus coram se assidere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra cum raperent. *Cæpit tremere, pallefcere, sudare, & magnis vocibus inducitur perire.* Sed cum hæc clamaret, in istis vocibus de habitaculo suo carnis evulsus est. Subdit postea ipse S. Gregorius, Ieonii fuisse Monasterium, in quo plarimii Monachi sanctè vivebant; at eorum unus hypochritam vitam ducens, cum ad extremum vitæ pervenisset fratribus se convocatis, dixit: *Quando me vobiscum crederetis jejunare, occultè comestebam: quæcudam hæc mea genus, pedesque colligavit.* Et hæc profertens impendentes occubuit.

Certum est itaque omnem conatum fieri à demoniis, ut animas in desperationem inducant, in eorum exitu à corporibus ad Extremæ Unctionis Sacramento eas corroborat, & fortes reddit, ut resistat tentationibus cunctis, ac fidentes Divinæ Misericordie æternam salutem consequantur, ut piè dicitur P. Segnerius in *Christ. Instru. part. 3. discurs. 23. num. 20.* ubi subdit, B. Mariam Ogniacensem narrasse Jacobo Cardinali de Vitrico Confessoris sui, se vidisse Christum Dominum magna cum Sancto, ac Sanctarum caterva assistentem cuidam agonizanti, dum Sanctum salutariter, ut in ipem suæ salvationis erigeret, ac demones tentatores sua divina presentia fugaret. De hoc quarto effectu scribit Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 11. art. 16. §. 4. Mastrius d. disp. 6. num. 64. Iovin. de Extr. Unct. §. 8. cap. 4. concl. 2. addens, quod ex eo Patres vocaverunt Extremam Unctionem *Spei Sacramento*, quod scilicet innumeret, per eam infirmum erigi, ut fortius cum hoste in exitu dimicet. Salmanticenses d. tract. 7. cap. 3. num. 4. Gobatus d. tract. 8. num. 913. & Gonetus d. tom. 5. disp. 1. de Extr. Unct. num. 10. ubi doctè advertit, hunc effectum corroborandi infirmum, ut pugnet contra diabolum de sumi tum ex materia hujus Sacramenti, tum ex forma antiquæ Ecclesiæ Mediolanensis, & Venetæ. Ex materia quidem, quæ est Oleum, quia sicut olim Athletæ oleo ungebantur, ut ad luctum, & certamen se præpararent; de quibus Tolosan. *Synagm. Jur. lib. 39. cap. 5. num. 3.* & Cornelius à Lapide in 1. Cor. 19. 25. ita infirmi ad pugnam cum hoste antiquæ Sacra hæc Unctio Olei disponuntur. Ex forma verò perveruta illarum Ecclesiarum, quæ talis erat: *Ungo te Oleo sanctificante in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut moro militis uncti præparatus ad certamen, aereas fures superare possitates;* quam formam retuli supra Decif. LXVIII. num. 6.

Quintus effectus Unctionis Extremæ est concedere sanitatem etiam corporis, si hæc expediat ad salutem animæ; ut ait Concilium Tridentinum de Extr. Unct. Sacram. d. cap. 2. sess. 14. ibi: *Et sanitatem corporis interdum, ubi salutis anime expedit-*

rit, (infirmitas) consequitur. Et prout scriptum reliquit S. Thomas 3. p. in Suppl. qu. 30. art. 2. his verbis: *Ex hoc Sacramento non semper sequitur corporis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper eam inducit. Eademmodò non sit impedimentum ex parte recipientis, ut hoc deducit Gobatus d. tract. 8. num. 917. quod in sensu composito affirmari potest, infirmos aliquando impedire, ne sanatio corporalis imperita per Extremam Unctionem cedat aqualiter in bonum animæ; unde fit, cur aliquando Oleo Sancto uncti, & sanati postea malam mortem subeant, qui si statim post Sacram Unctionem decessissent, sanctissime obissent, ut disputando dixerit Tannerus disp. 7. q. 1. dub. 3. num. 45. & segg. Sed hæc sunt iudicia Dei inscrutabilia à nobis adoranda, non inventianda, ut exclamat Apostolus ad Rom. 11. 33. *Quomodo divinarum sapientie, & scientie Dei, quæ incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* unde notavit S. Angustinus in *Plalm. 32.* Putas, nos perscrutari posse, quod Apostolus beatus expavit? De ratione imperitabilium horum Dei iudiciorum, quæ sunt abyssus multa, legat studiosus, ne dicam curiosus, Antonium Glicium Presbyterum Congregationis Oratorii in tract. *Le Grandæ della SS. Trinità disc. 48.* ubi doctè, piè, ac eruditè de his, & aliis timendis, ac tremendis iudiciis divinis agit.*

Cæterum de sanitate corporis per Sacramento 17 Extremæ Unctionis graviter decumbentibus præstita, ipsemet Gobatus d. tract. 8. num. 905. hæc asserit exempla. 1. De infirmo, qui urgente morbo de potestate mentis exierat, cui Curatus dedit Sacrum Oleum, quod priusquam infaniret, postulaverat, subdens: *Mira dicitur, visque res! simul atque Sacro ritè unctus est Oleo, mentis sanitatem, paulo etiam post corporis valetudinem recuperavit.* 2. De Ruperto Romanorum Rege, de quo supra Decif. 81. num. 27. qui recepta Unctione Extrema, de qua tantum timebat, sanus evasit. 3. De infirmo è dysenteria in Collegio Monacensi, quem uderat ordinarius Medicus Collegii desperatum dederat, & tamen perceptione hujus Sacri alexipharmaci sanitatem obtinuit. 4. De puella ad agonem ex infirmitate deducta, quæ Oleo Sancto ungi expavebat, dubitans statim mori; sed à Confessario, ut piè crederet, eam Unctionem esse medicinam etiam corpori sanando paratam suam, permisit se ungi; & statim lenius respiravit, & postera luce visenti ad se Confessario vegeta, & incoluntis ultro occurrit. At de his eventibus plures casus Parochi viderint in praxi, quam ego colligere valeam in theorica. Testis sum ego ipse de hoc quatuor effectu, qui in primis Sacerdotii mei diebus scio, me Oleo Sacro duos Mansionarios hujus Ecclesiæ Cathedralis Patavinæ ad extremum vitæ ex gravissimo morbo deductos linisse; R. Andream Vighetium unum, alterum Joannem Mariam Tavellinum, & uterque sanitate donatus ope hujus Sacramenti, diurnam vitam, & felices annos iterum obtinuit.

Tres autem Quæstiones circa hos effectus agitantur à Theologis in Scholis, quas attingisse sufficet pro coronide, ac conclusione hujus tractatus, ne eas studiosos lateat, & ut possint de istidem se 18 plenius instruere apud DD. infra citandos. Prima est, quisnam sit primarius, ac præcipuus effectus ex quinque suprarelatis? Alii volunt, esse remissionem venialium; alii collationem gratiæ sanctificantis; alii alleviationem animi ipsius acri; & alii cenceffionem roboris, ac auxilii ad pugnam contra diaboli tentationes; ut latissime disputant ex Thomistis Gonetus de Extrem. Unctione. d. disp. 2. per totum. ex Scotistis autem Mastrius cit. disp. 6. quest. 4. a num. 61. usque ad 86. Altercatio quidem magna est; sed satis nobis sit, omnes

nes prædictos effectus explicuisse, & eos omnes si-
ve primarios, siue secundarios inter se suscipere,
ac venerari. Secunda quaestio est, *Quandam Ex-
trema Unctio producat prædictos effectus?* quod est
quaerere, an collatio gratiæ, remissio venialium,
